

quem, ut agat aliquid, vel omittat. Ita S. Th. Alia *solemnis* est, quæ fit a Ministris Ecclesiæ modo, quo ab ea constituta est; alia *privata* sine ulla solemnitate. Rursus alia dicitur *deprecativa*, ut illa Apostoli ad Thessal. 1. *adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc*: alia *imperativa*, quæ convenit Superioribus erga subditos, & Exorcistis erga Dæmones.

21. *Quæst. 2.* Quando; & quibus licet adjuratio? Tria requiruntur, ut licita sit adjuratio: 1. *veritas*, scilicet ut adjurans intendat assequi id quod petit, & vera sit causa; ob quam petit. Peccant igitur ex defectu veritatis ficti pauperes; per Deum petentes eleemosinam, & quidem graviter juxta opinionem multorum: 2. *Justitia*: hinc qui petit rem graviter malam per Deum, graviter peccat; imo etsi res, quam petit, sit leviter mala, quia videtur gravis in Deum irreverentia, licet multi TT. ita petentem excusent a mortali. 3. *judicium*, id est debita prudentia, & moderatio, quæ si desit, adjuratio erit peccatum veniale. Privatim adjurare hoc modo; omnibus est licitum; solemniter autem solis Ecclesiæ Ministris, ex Lucæ 10. v. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Et Mat. 16. *In nomine meo Dæmonia ejicient.*

22. *Quæst. 3.* Quodnam est adjurationis objectum? R. tantum Creaturæ intellectuales directe adjurari possunt, ut homines; & Dæmones. Indirecte autem etiam irracionales, ut sal, locustæ, nubes, cæt. adjurando Deum, ut eorum usu nos adjuvet, vel Dæmones, ne per eas

nobis noceant. S. Th. Circa Dæmonum autem adjurationem, duo sunt notanda. 1. ut adjuratio fiat modo imperante, minime vero deprecante. 2. ut fiat ad removenda obsessi damna, & neququam ad vanitatem, aut curiositatem: hinc DD. a peccato gravi non liberant eos, qui multos, & inutiles sermones miscent cum obsidente Dæmone. Quod si adjuratio fiat verbis imperantibus, grave peccatum non erit, unam vel alteram rem a Dæmone quærere curiositatis gratia. Ita Suar. Nav. Sotus, aliique.

23. *Quæst. 4.* Quid liceat Exorcistis a Dæmone interrogare? R. ea omnia, quæ conferre possunt ad ejus expulsionem, ut numerum, & nomen eorum, qui in obsessio habitant, tempus, & causam ingressus; item signum sui ingressus ut contra Sotum docetur communissime. Licet quoque ab eis exquirere, ut veritatem aliquam manifestent, cum ad Dei gloriam id expedire visum fuerit, ut diserte tradit D. Th. 2. q. 95. a. 4. ad 1. Quo pacto exorcismis uti debeat Ecclesiæ Minister, consule apud Rituale Romanum, & apud AA. Theologos.

CAPUT V.

De voto, ejusque conditionibus.

1. *Quæst. 1.* Quid est votum, & quotuplex? R. est promissio, facta Deo deliberate de bono possibili, & meliori, quam ejus oppositum. S. Th. & TT. communiter. Unde patet, quod votum est actus patriæ, soli Deo debitus. Qua-

re dum vovemus quædam Sanctis, ea offerimus Deo in honorem SS. Dividitur 1. in *absolutum*, & *condicionatum*. Illud est, quod fit sine ulla conditione; hoc autem sub aliqua conditione, ita ut nisi hæc ponatur, non oriatur ulla obligatio, ut *voveo eleemosynam, si sanitati restituar*. II. in *solemne*, & *simplex*. Illud est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia absolute, & in perpetuum; hoc autem, quod non ita acceptatur. Primi generis sunt votum castitatis, quod majoribus ordinibus annexum est, & vota professionis religiosæ. III. in *reale*, & *personale*. Illud est, cum pecunia, vel res alia pretio æstimabilis promittitur; ut calix, eleemosyna, cetera. Hoc autem cum offertur aliqua hominis actio, vel omissio, ut jejunium, peregrinatio, abstinentiã a lusu. His aliqui adjungunt mixtum ex utroque, ut si voveas peregrinationem cum obligatione alicujus rei.

2. *Quæst. 2.* Quænam sunt voti conditiones? R. requiritur 1. ad voti valorem voluntas vovendi; nemo enim votum emittere propriè dicitur, qui non velit vovere. Non est tamen opus, dicere expresse *voveo*, vel *promitto*, sed sufficit promissio tacita, vel implicita, ut patet in voto Castitatis, annexo Sacris Ordinibus. 2. requiritur animus se obligandi; qui enim absque tali animo voto se obstringeret, profecto sibi contradiceret, apponendo conditionem contra voti substantiam. Si quis autem haberet animum vovendi, ac voto se obligandi, non tamen implendi; is quidem peccaret, votum autem esset validum, & quidem obligans ad sui impletionem;

cum obligatio voti non pendeat a voluntate implendi, sed vovendi, & se obligandi. 3. requiritur plena, ac perfecta deliberatio, qualis sufficit ad peccatum mortale directe voluntarium. Hinc ex defectu libertatis invalidum est votum ante usum rationis; votum autem solemne requirit certam ætatem. Invalidum quoque est votum emissum cum semiplena animadversione, vel deliberatione. Pariiter sunt invalida vota, quæ fiunt ex errore circa rei substantiam, aut circa rei promissæ circumstantias substantiales; talis enim error impedit, ne res promissa sit satis cognita, ac proinde volita. Aliud est de errore, non pertinente ad substantiam rei, sed ad circumstantias mere accidentarias, quæ rem promissam notabiliter non variant.

3. Nec valet votum emissum ex errore circa causam finalem v. g. vovisti jejunium pro salute Patris, quem falso putabas ægrotare, non teneris voto. Idem dico de voto emisso ex metu gravi injuste incusso ad finem extorquendi votum; licet enim votum illud sit voluntarium, non censetur a Deo acceptari; & aliunde irritum est ex jure, ne sit locus injustæ coactioni. Ita communis sententia tenet; idque etiamsi metus sit levis, dummodo quis formaliter ex eo metu voveat, ut docent Suarez, Fill. & alii. Secus vero dicendum de metu gravi, injuste incusso, sed ad alium finem, qui ex communi opinione votum non irritat, excepto voto solemnisi Professionis, quod certe nullum est ex c. *Prelatum de iis, quæ vi*. Et potiori jure affirmandum est, esse validum votum ex metu juxte incusso, ut nemo dubitat.

4. *Quarta* voti conditio est, ut sit de re possibili, non solum physice, sed etiam moraliter: hinc non valet votum nunquam peccandi venialiter; id enim, attentâ hominum fragilitate moraliter fieri non potest, ut docet Trid. Sess. 6. c. 23. Quo si Sancti aliqui votum emissere agendi quidquid perfectius esset, credendum est illos esse operatos ex speciali afflatu D. Spiritus, ut de S. Theresia, & aliis pie creditur. Requiritur 5. ut materia voti non solum bona sit, sed melior, quam ejus contraria, aut ejus omissio. Finis enim voti est honorare Deum; id autem fieri nequit, nisi offeratur aliquid Deo gratum, gratum autem esse non potest, ut quis obligetur ad relinquendum id quod est melius. Unde invalidum est votum de re vana, inutili, aut indifferente, nisi ex circumstantiis fiat bona, & ad finem bonum conferat. Imo peccatum esset votere rem inutilem, aut malam; & licet res, quæ votetur, leviter mala sit, probabilius esset grave peccatum, & quædam species blasphemiam, nisi ignorantia excuset.

5. *Invalidum* quoque votum est, cui adjungitur finis, vel aliqua circumstantia prava, se habens ex parte rei, quæ votetur, v. g. si voteas jejunium, ut ex illo plausum captes, vel elemosynam ad obtinendum felicem exitum adulterii, cum talis erogatio ad pravam finem sit in Deum blasphema; quasi posset ad rem turpem adjuvare. Quod si opus pravam non sit finis voti, sed simplex conditio, valet votum; ut si quis voveat jejunium, si inimicum occidat; hanc enim posita conditione, honeste potest im-

pleri votum. Validum etiam est votum, quando finis pravus tantum se habet ex parte voventis, ut si quis ex vana gloria, aut ira erga importunum mendicum, voveat ei dare elemosynam; quia tunc res, quam vovet, est bona, licet ipse vovendo peccet.

6. Non tamen est satis ad voti valorem, ut materia sit bona, sed debet esse melior, quam ejus omissio, ita ut res, quæ votetur non impediat majus bonum. Itaque non valet votum emissum contra consilia Evangelica, v. g. manendi in sæculo, ducendi uxorem, cet. Ita S. Th. 2. 2. q. 89. ar. 7. ad 2. Quod si res, quæ per se minus est bona, ex circumstantiis fiat melior contraria, potest esse materia voti; hinc potest votere matrimonium, qui ob fragilitatem, & peccandi consuetudinem prudenter judicet se non servaturum cœlibatum: *melius est enim nubere, quam uri*; ut ait Ap. 1. ad Cor. 7. Quamquam nec tunc valere votum alii sentiant cum Laymano. An autem is re vera teneatur nubere? disputant TT.

7. *Quæst. 3.* An valeat votum de non petenda voti dispensatione, aut commutatione? Certum est valere, si non sit justa causa petendi. Si autem adsit causa, adhuc valere votum affirmat sententia probabilior cum S. Anton. Suar. cum sit de re bona, & meliori. Notandum est tamen, votum hoc non obligare, si postea fiat, ut ad spirituale bonum ejus, qui vovit, melius sit petere dispensationem. Imo votum hoc, quantumvis validum, relaxari potest a Superiore, cui salva semper manet sua potestas.

8. *Quæst. 4.* Quid de dubio circa votum? R. 1. si scis te vovisse, dubitas autem, an cum plena deliberatione voveris, valet votum, quia possessio stat pro illo. Excipe, nisi voveris ante septennium, tunc enim non præsumitur sufficiens libertas, nisi aliunde constet de usu rationis. Si dubites, an voveris ante, vel post septennium, teneris voto secundum communem, & probabiliorē sententiam. R. 2. si tibi sit dubitatio, an votum emiseris metu coactus, vel an metus gravis fuerit, voto ligaris, cum constet de voto, & non constet de circumstantia illud infirmante. Idem dico de eo, qui dubitat, an vovendo voluerit se obligare, quia donec constet de invaliditate actus, præsumptio est pro illius valore. Pariter obstringitur voto, qui dubitat, an scierit, vel animadverterit obligationem voti; nam ex iis, quæ communiter contingunt, præsumitur quisque scire, votum parere gravem obligationem implendi rem, quam vovit.

9. R. 3. Si dubites, an votum emiseris, an solum propositum, standum est pro solo proposito; nemo enim præsumendus est gravem sibi obligationem imponere voluisse, nisi satis constet. Quid si quis dubitet, an fecerit votum, vel propositum, sed meminerit se credidisse graviter peccaturum, nisi promissionem implevisset? Censeo illum re vera vovisse; cum enim putaverit se peccare non implendo promissum, recte arguitur eum & cognovissimul, & voluisse voti obligationem. Licet enim quandoque plebeji, & rustici in nuda promissione, & proposito gra-

vem obligationem apprehendant; veruntamen nisi id certo constet, iudicium ferri debet secundum ea, quæ vulgo solent accidere. Cum dubitatur de qualitate rei promissæ, attendenda est mens, & animus voventis; obligatio enim non extenditur ultra voluntatem se obligantis.

CAPUT VI.

De voti obligatione.

10. Licet voti obligatio sit juris naturalis, ea tamen pendet tum a quantitate materiæ, quæ vovetur, tum a mente, & voluntate voventis, tanquam a conditione necessaria, ut obliget vel leviter, vel graviter, vel absolute, vel sub aliqua restrictione loci, temporis, cet. Hinc obligatio voti ex genere suo gravis est, ita ut ejus violatio in re gravi sit peccatum lethale. Constat. 1. ex psal. 40. *Redde Altissimo vota tua.* Et Eccl. 5. *si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde.* Et Apost. 1. ad Tim. 5. ait de viduis, quæ continentiam votum violarunt: *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ex traditione, & sensu Ecclesiæ, ut declaratur c. 6. de Voto. Ratio autem id suadet, cum obligatio voti pertineat ad virtutem Religionis, & ad fidelitatem Deo debitam: unde transgrediens votum in re gravi est Deo graviter infidelis, ut diserte tradit D. Thomas 2. 2. q. 88. ar. 3. cui DD. omnes suffragantur. Hinc S. Aug. ep. 127. ait:

Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Prius quam esse voti reus, liberum fuit... Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo.

11. *Quæst. 1.* An votum in re levi obliget sub mortali? Negat communior sententia contra Toletum, quia votum est lex privata, quam sibi quisque imponit, nec obligant nisi secundum materiæ quantitatem. Neque etiamsi vellet, posset qui se obligare sub gravi, quia res ex se levis non est capax obligationis gravis; nisi ob circumstantias fiat magni momenti, vel quia valde conferat ad honorem Dei, vel ad salutem proximi, vel ad vitanda graviora mala. An autem votum cum promissione plurium rerum in se levium graviter obliget? Cum distinctione loquendum; si enim res illæ leves promittantur per modum usus, possunt coalescere in unum, & facere materiam gravem: hinc qui voveret quotidie dare eleemosynam, licet levem, peccaret graviter eleemosynam raro, aut nunquam erogando: secus vero, si res illæ leves, quantumvis multæ, seorsim promittantur, ita ut moraliter non coalescant, ut censendum est de votis personalibus, nisi constet oppositum de mente, & intentione voventis.

12. *Quæst. 2.* An in materia gravi possis vovens sub levi se obligare? R. affirm. exceptis votis status Religiosi, quæ per se graviter obligant. Ratio est, quia votum est lex quædam privata, & speciale pactum, cujus obligatio pendet a mente, & voluntate illius, qui legem sibi

imponit, & conditionem: Dices: voti obligatio oritur a lege Divina: est ergo obligatio quodammodo naturalis, & necessaria. R. id verum esse, posita voluntate voventis, & consequenter ad ejus voluntatem; est enim ab illa dependens, nec obligat, nisi quantum ipsa velit. Ceterum nisi vovens expresse velit se leviter obligare, censendum est voluisse se graviter obstringere, si materia sit gravis; unusquisque enim creditur velle se accommodare gravitati materiæ, nisi aliud constet.

13. *Quæst. 3.* Quam malitiam inducit violatio voti? R. infidelitatem, & irreverentiam erga Deum, & pariter deformitatem sacrilegii, saltem secundum quandam eminentiam, quia Deo negatur, quod ipsi promissum erat. Unde qui violat votum de re aliunde præcepta, v. g. qui post votum castitatis fornicatur, debet in Confessione exprimere votum, cum in illo peccato duplex malitia contineatur. Generatim autem loquendo valet votum de re jam præcepta, ut tradit S. Thomas, licet aliqui contra sentiant cum Gersone, S. Antonino, cet.

14. *Quæst. 4.* An aliquis teneatur alieno voto? R. neg. quantum est ex vi voti, quæ est lex, & onus personale. Unde si qui Canones videntur indicare, filium a Patre Religiosi devotum teneri eam profiteri, intelligendi sunt, si filius votum Patris ratum habuerit. Dico ex vi voti; nam ex justitia hæres tenetur solvere vota realia defuncti, sicut alia ipsius debita. An vero Pater in morte possit per vota minuere legitimam hæreditatem filiorum? disputant TT. &

Canonistæ; censeo tamen, illum, licet possit, dum in vivis agit, vota emittere, quibus aliquantum minuat hæreditatem filiorum, id tamen morientem non posse, cum secundum leges debeat bona sua filiis relinquere, & legitima de jure debeatur: proindeque ea gravare nequeat debito voluntario ex illo Eccl. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Eodem modo si Communitas aliquid vovit, in quod posteri non consenserunt, non obligatur ex vi voti, sed vel pacti, vel statuti, vel antiquæ consuetudinis.

15. *Quæst. 5.* Quo pacto impleri debet votum personale? R. cum illud solum voventem obliget, ab illo solum debet adimpleri, cum sit actio illius, qui vovit, & non alterius. Hinc qui vovit peregrinationem, quam exequi per se non potest, non tenetur alium mittere. Quod si votum mixtum sit ex reali, & personali, ut si quis vovit peregrinari v. g. in domum Laurentianam, & statuam argenteam offerre B. Virgini, tenetur voto, qua parte potest illud adimplere. Cum quis vovit factum alterius, obligatur ad procurandum, quoad licitum est, ut alter rem exequatur, suadendo, rogando, aut præcipiendo, atque etiam aliquando sumptus suppeditando. Sic Parens, qui filium devovit Religioni, debet id filio prudenter suadere; quod si ille nolit, Pater voto suo satisfacit.

16. *Quæst. 6.* Quo modo obligant vota conditionalia? R. ea solum obligare quandiu ponatur conditio; hac autem cessante, omnino non obligant: quia vovens non aliter voluit se adstringere, nisi posita conditione. Atque eadem

ratione juxta probabiliorem sententiam votum non obligat, etiamsi vovens sit in causa, ut conditio non adimpleatur. Unde filius, qui vovit Religionem, si Pater consentiat, postea autem, etiam per dolum submittit, qui Patri persuadeat, ne consentiat; peccabit quidem ita persuadendo, sed voto non tenebitur, quia illud manet suspensum, donec conditio impleatur. Intellige, nisi aliud constet de mente voventis, ut animadvertit Layman; filius enim ita vovens Religionem, videtur illam vovisse: *nisi Pater ex se, & sponte sua contradixerit.* Interim nota 1. nullum esse votum, cui apponitur conditio turpis, aut impossibilis. 2. ad obligationem voti non sufficere, ut conditio impleatur, ut ajunt *æquivalenter*, sed impleri debet *specificè*: hinc qui vovit Religionem, si soror nupserit, non obligatur, etiam si illa moriatur; nisi aliud de ipsius mente constet.

17. *Quæst. 7.* Quo tempore votum impleri debet? R. qui vovit aliquid facere creto tempore, v. g. sabbato jejunare, illo transacto non tenetur. Quod si videas illo die fore impedimentum, non teneris prævenire, nisi ea fuerit voventis intentio, atque hæc regula servanda est communiter in votis personalibus, nisi constet diem præfinitum esse tanquam terminum ad sollicitandam voti impletionem, tunc enim conditio temporis non cadit supra votum, ita ut ejus impletio sit affixa uni diei, & non alteri. Quæ ratio valet præcipue in votis realibus, cum una dies nullam habet specialem rationem præ alia die. Quid si dubites, an dies præfixa sit

ad finiendam, an ad sollicitandam voti adimpletionem? R. tunc votum obligare; cum constet de substantia, licet non constet de circumstantia excusante. Ita communis sententia cum S. Thoma. Potest tamen distingui, ita ut votum censeatur valere in voti realibus, in quibus præsumptio stat pro voto; secus in votis personalibus, in quibus præsumitur dies appositus, tamquam terminus ad extinguendam obligationem.

18. Qui vovit aliquid, nullo præfinito sibi tempore, illud implere debet, cum primum commode possit; si autem diu sine justa causa differat, peccat lethaliter. Minor autem requiritur causa ad differendam voti adimpletionem in rebus, quæ spectant ad obsequium aliquod temporale, v. g. tot peregrinationum, jejuniorum, cet. quam in aliis, quæ pertinent ad perpetuum Dei obsequium, v. g. ingrediendi Religionem, xenodochio inserviendi, & similibus, præsertim, ubi sit periculum oblivionis, aut impotentia implendi, ut ait S. Ant. Quantum autem temporis spatium præteriri possit sine mortali, non convenit inter AA. definire autem debet tum ex mente voventis, tum ex qualitate rei promissæ; tum ex periculo oblivionis, vel omissionis. Generatim autem loquendo, grave peccatum est, absque justa causa votum differre ad longum tempus, ex Deut. 23. *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requireret illud Dominus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi ad peccatum.*

19. Ex dictis colliges sequentia. 1. qui vovit

rem determinatam, v. g. hunc calicem; si ea res pereat, non tenetur ad aliam, nisi contrarium intenderit; quod si eam vendiderit, debet dare pecuniam, quam accepit; nam qui rem vovet, censeatur promittere omnem ejus utilitatem. 2. qui vovit aliquid sine certo loco, v. g. ingredi Religionem S. Benedicti, satisfacit ingrediendo quodcumque illius Ordinis Monasterium nec, ut admittatur, tenetur peragrarè provinciam, sed satis est adire loca aliqua non nimis dissita. 3. qui vovit aliquid sine certa qualitate; v. g. triticum pauperi, vel calicem Ecclesiæ, satis est, ut impleat secundum usum communem, nec tenetur ad optimum. Qui vovet, v. g. si ludat chartis, solvere 100. aureos, toties tenetur solvere pœnam, quoties ludit, quia pœna est quid culpæ accessorium. Id intellige, si votum fuerit duplex, de non ludendo, & de solvenda pœna; nam si votum fuit simplex de solvenda pœna, si luserit, satis esse semel ab eo solvi pœnam censent Salm. cum aliis; sed hoc dependet a mente, & animo voventis.

20. Colliges 4. votum exterius factum sine animo vovendi, aut se obligandi, non esse proprie votum, cum deficiat conditio essentialis voti; erit tamen aliqua in Deum irreverentia, sed venialis tantum, secluso scandalo, & contemptu, ut ait Suarez, qui tamen docet, eam fictionem in votis solemnibus Religionis esse grave peccatum, tum propter injuriam, quæ fit Ecclesiæ; tua quia raro deerit scandalum. 5. nullum esse votum ejus, qui promittit dis-

junctim rem bonam, vel malam, aut inutilem. Si vero utraque pars sit bona, præstanda est illa, quæ eligitur, etiamsi post electionem altera pars fiat impossibilis, vel inutilis. Secus vero si pereat una pars, vel impossibilis reddatur ante electionem, non teneris ad alteram: nisi tua culpa res pereat, aut in mora fuisti eam tradendi, aut determinandi.

CAPUT VII.

Quot modis tollatur obligatio voti.

21. Duplicitet tolli potest 1. nullius auctoritate interveniente, idque vel materiæ mutatione, vel deficientia conditionis, aut circumstantiæ necessariæ. 2. intercedente legitima auctoritate, scilicet vel irritatione, vel commutatione, vel dispensatione. Quo ad primam rationem attinet, cessat voti obligatio, quoties res, quæ vovetur, fit impossibilis, inutilis, cet. Quod si materia fiat impossibilis quoad unam partem, & res commode dividi possit, impleri debet quoad eam partem, quæ potest impleri. Sic qui vovit jejunare per integram hebdomadam, nec potest tota hebdomada jejunium servare, tenetur jejunare diebus, quibus possit. Si vero materia voti dividi non potest, nec solet, ad nihil teneris: ut si vovisti ædificare Ecclesiam, nec possis nisi fundamenta construere, non teneris ad ea. Quod si votum dividi quidem possit, sed unum sit principale, reliqua non nisi accessoria, nec per se seorsim intenta, sed dependenter a

priori, tunc si principale fiat impossibile ruit accessorium, non autem contra; ut v. g. vovisti peregrinationem Romam in cilicio, & ibi aliquid offerre: si peregrinatio fiat impossibilis, non obligaris cilicio ferendo, & donum mittendo.

22. Tollitur etiam voti obligatio, si in materia notabilis mutatio interveniat; quia in voto sicut & in omni contractu per notabilem mutationem res censetur moraliter diversa, adeoque in eam non fertur mens voventis, aut contrahentis. Quid vero si accedat nova circumstantia non prævisa, quam si vovens prævidisset, numquam se voto obligasset? Adhuc in ea hypothesi teneri voto, affirmant Navarrus, Salmant. & alii, quia ad voti obligationem non est attendendum, quid vovens egisset, si has, vel illas difficultates meminisset, sed videndum, quid re ipsa promisit, cum vovit. Et probant ex c. *Explicari de observ. jejunii*, ubi Honorius III. definit, eos, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in feria sexta, si festum Nativit. Dominicæ die ipso venire contigerit: *carnibus vesci posse*. Probat idem Lessius ex eo, quod multi Castitatem vovent, & Religionem profitentur, qui graves tentationes, & difficultates experiuntur, quas si prævidissent, nunquam Religionem, & castitatem professi fuissent; & tamen eos voto ligari, nemo dubitat. Nihilominus contraria sententia defenditur a multis TT. cum Molina, Azorio, & videtur conformis S. Anton. & D. Thomæ. Certe Ang. D. in 3. d. 38. art. 4. q. 1. ad 1. expresse ait: *id liberare a voti, vel juramenti obligatione,*